

de viro mulier: vt vnius principii authoritas conseruetur. Sed
filius ineffabiliter, incomprehensibiliter natus est de Deo patre,
mulier autem corporaliter, sicut legimus, facta de viro est, vt
per eam natiuitas oriretur. Filius verò Dei ideo natus est, vt
per ipsum fieret creatura. In eo ergo dissimilis est. Nam de Deo
Deus natus est, de viro autem foemina: quia illic simplicitas
est, & non potuit nisi de simplici simplex nasci spiritus de spiri-
tu, Deus de Deo: igitur vir imago Dei est. Sic etenim scriptum
est, [Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.] Vn-
de Apostolus, [vir quidem, inquit, non debet velare caput, cum
sit imago & gloria Dei: mulier autem velet caput,] quare? quia
non est imago Dei. Vnde & denuò dicit Apostolus, [Mulier
autem docere non permittatur, neque dominari in virum.]

¶ Vnde & denuò dicit Apostolus, [Mulier autem docere non permittatur, neque dominari in virum.]